

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0146

0144

0150

0140

0155

0135

0195

0095

0245

0045

0645

Ende

Anfang

135

eius jucundae duae nobis apparuerunt, et ad locum, in quo
Dominus flagellatus creditur, nos duxerunt. Est enim capella
rotunda, testudinata, ad ejus latus est ascensus in domum
superiorem, immunde autem et sine honore tenent locum
istum sacrum, et est quasi sentina domus, in quam omnia
purgamenta injiciuntur. Hoc tamen non obstante descendimus
in immundicias, et orationes nostras fudimus, et indulgentias
plenariae (††) absolutionis accepimus. An autem Dominus
in eodem loco fuerit coronatus, in quo fuit flagellatus, videtur
ex Evang. Matthaei et Marci, quod fuerit publice flagellatus
extra, et intus in atrio coronatus. Sed Johannis XIX. po-
nuntur simul flagellatio et coronatio; sic et idem locus ostenditur
flagellationis et coronationis. Verum tamen est, quod
loca ista propter aedificiorum destructiones et reparaciones
difficulter possunt reperiri. De illa domo vide fol. 138 A.
Ego bina vice intromissus fui. Reputatur magnum, quando
peregrinus in loco praedicto fuit, inter mille enim non potest
unus ingredi. In exitu nostro dedimus puellis aliquos madi-
nos, quos cum magna gratitudine acceperunt, et per inter-
pretem dicebant nobis, quod quotiescumque pater eorum ab-
esset (232 A), libenter nos intromittere vellent. Saevus est
enim pater ille ad filias, sicut ad alias homines christianos,
quos etiam videre non potest, et ideo ex quo Christiani parti-
cipant de crudelitate illius viri cum filiabus ejus, afficiuntur
nobis et in contemnunt patris introducunt Christianos. Erant
enim duae speciosae filiae grandiusculae, et in introitu nostro
velamen facierum deposuerunt, et jocundis vultibus nobis
conversabantur, quod cum Sarracenis ausae non fuissent.

Pulchra peregrinatio F. F. F. per loca subjecta.

Septima die ante solis ortum dictis matutinis cum
aurora illucesceret, steti in ambitu superiori claustrum fratrum
montis Syon, et conjecti oculos profunde deorsum usque in
vallem Gehinnon; pulsabat autem me desiderium, ut eodem
mane descenderem tam profunde in vallem ipsam, quoique
montem Syon videre amplius non possem, ut et fontem Rogel
quaererem, et lapidem Zolech, de quibus habetur 3 Reg. 1.,

